



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. An juramentum habeat vim irritandi, aut confirmandi contractus  
initus contra prius juramentum, illos non celebrandi?


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. III.

*An iuramentum habeat vim irritandi, aut confirmandi contractus in totum contra prius iuramentum, illos non celebrandi?*

**A**ctus, qui contra prius iuramentum de eo non ponendo fit, est validus, si se cluso iuramento validus esset, cum totam suam vim habeat à libera voluntate ponentis illum, & prius iuramentum de eo non ponendo tantum faciat illicitum, non autem invalidum actum, quamvis periurus hic sit, qui contra prius iuramentum sic agit. Et hinc matrimonium de presenti validum est, contra priora sponsalia iurata contractum; venditio vel donatio facta traditione valida sunt, quamvis prius nec donaturum te, nec venditurum iuraveris; revocatio procuratoris aut testamenti valida est, quamvis prius iuraveris, te non revocaturum. Quod si tamen actus, qui fit contra prius iuramentum, per se & absque iuramento invalidus sit, non confirmatur per tale iuramentum posterius factum, neque enim potest obligare hoc iuramentum posterius, cum faciat perjurii reum iuramentum, sic vinculum esset iniquitatis. Si verò actus qui iurati fuerunt, sint contrarii, tum si prior est invalidus, posterior est in validus, etiam si huic iuramentum accedat, cum hic posterior actus impleri non possit sine iniuria prioris iuramenti.



## SECTIO V.

## De obligatione &amp; relaxatione Juramenti.

## §. I.

*An obligatio Juramenti sit personalis, an verò realis? ita ut ad heredes transeat.*

**J**uramentum quia tale, semper personale est ex parte illius, qui iuravit, & ex virtute religionis ad præstandum, quod se obligavit, ita ut illius ex virtute religionis obligatio ad successores, heredes, vel alios, qui non iuraverunt, non transeat, quamvis suo & successorum iuramento nomine iurans aliquid promiserit. Possunt quidem isti nonnunquam obligari ad id præstandum, quod alter iuravit, non tamen obligantur ex vi iuramenti in illo præstiti, (nisi hoc ipsum in seclusum perint) sed ex vi pacti (saltem taciti) & iustitia ad idem præstandum obligantur. Sicut enim nemo jurat, nisi sua voluntate, ita nemo alius iuramenti hoc vinculo obligatur, si non ipse etiam idem iuramento promiserit; & quamvis possit iuramentum per Procuratorem præstari, ut patet c. vlti. De iura. calum. in 6. (Quia quis quis facere potest per seipsum, etiam potest per alium. Reg. juris 68. in 6. (mandat Procurator speciale mandatum habeat, ad taliter alterius nomine iurandum, & actus talis sit, qui per alium geri possit, non tamen ipse Procurator iuramento obligatur, quod præstitit etiam mandato, & locò alterius, sed ipse principalis.

Ex parte tamen illius, cui præstitum iuramentum